



Disputatio theologica de precibus : pars secunda

<https://hdl.handle.net/1874/340907>

DISPV TATIO THEOLOGICA;
DE PRECIBUS,

P A R S S E C V N D A .
Q U A M

Favente Deo,

S U B P R A E S I D I O ,

D. JOHANNIS HOORNBEECK, S. S.

Theolog. Doctor. ejusdemque facultatis in inclytâ Aca-
dem. Ultraject. Profess. ac in Eccle. ibi-
dem Pastoris vigilantiss.

Publicè ventilandam proponit,

CORNELIUS à THIEL Hard Gelrus

Ad diem 4. Juhii hora locoque solitis,



U L T R A J E C T I ,
Ex officina JOANNIS à WAESBERGE ,
M D C X L I X .

*Amplissimo, gravisimo, & spectatissimo
VIRO*

D. HERMANNO van
EWYCK, Templi Mari-
ani apud Ultrajectinos
Canonico, Quæstori,
aggerum Præfecto con-
sultiss., Promotori meo,

Me hac disputatione

Offero divinæ.

CORNELIUS à THIELL.

Respondens.

DISPUTATIO THEOLOGICA,
DE PRECIBUS,
PARS SECUNDA.

Augustinus in Psalm. xxx. Si enim tibi dicas Deus, ecce invocasti me, venio ad te, quo intrabo? Tantas sordes conscientiae tuae sustinebo? Si servum meum in domum tuam invitares, nonne prius eam mundare curares? Invocas me in cor tuum, & plenum est rapinis. Quo invocatur Deus, plenum est blasphemus, plenum est adulteris, plenum est ira & fraudibus, plenum est malis concupiscentiis, & insuper plenum est inuidia, & invocas me? Bernardus, medit. cap. vi. Cum ad orandum, sive ad psallendum ecclesiam intraveris, fluctuantium cogitationum tumultus exterius relinque, curamque exteriorum penitus obliuiscere, ut soli Deo possis vacare. Eieri enim non potest, ut aliquando cum Deo loquatur, qui cuncto mundo etiam tacens fabulatur. Intende ergo illi, qui intendit tibi, ut ipse exaudiat te, loquentem sibi. ii. præcipue animus humiliandus hic est, cum Deo loquuturus. Genes. xviii. 27. Iob. xlii. ii. Chron. vii. 13. 14. i. Reg. iii. 7. Ezr. ix. 6. Heb. v. 7. Tertio, hoc precandum à Deo, ut precari nos faciat. Rom. viii. 26. Nilus: si vis orare, opus est ut Deus orationem orantes tribuat. iv. ad officium hoc animus singulariter exciandus: quemadmodum mēdicos videmus se in pedes cingere, & incitare semet, ad implorandam stipem. Iefā. xlvi. 7. nec ullus, qui invocet te, qui excitet se ad te prehendendum.

Qu. An illa omnia distinctè requiruntur ad quamcumque preceptionem, adeo ut hæc non constet, ubi illa non signifikatim præcesserunt? *Resp.* Præparatio alia est remota, habitualis, implicita, virtualis; eam semper adesse precaturo neceesse est: alia

alia actualis, explicita, juxta singulos præmemoratos actus ;
quæ non semper quidem explicitè secundum omnes illos ac-
tus præmittendos necessaria ; nonnunquam tamen adhi-
benda, ubi solemnis & diligentius nostrum hic officium pre-
standum.

X V I I I

Illa ante precationem curanda, sequitur , quomodo in eâ
gerere nos debeamus. Prima hic virtus est, ut *animo*, & spi-
ritu oremus. Ioann. iv. 23. 24. 11 Sam. vii. 27. Psalm. cxix.
145. & cxlv. 18. Rom. viii. 26. 27. Deut. iv. 29. 1 Sam. i.
13. 1. Cor. xiv. Iud. vers. 20. non solo ore, vel lingua. Chry-
softomus, homil. de fide Annæ : *omnes quidem oramus, sed non*
omnes in conspectu Domini. Eternum cum corpore in terram prostra-
to , & ore frustra delirante , mens ubique per domum ac forum
circumvagatur ; quo ore talis posset dicere, quod oravit in conspectu
Domini ? nam in conspectu Dei orat, qui orat undiquaqueq; colligens mente
suam, nihil habens cum terra commercii, sed ad ipsum Deum postius
commigrat, omni cogitatione humana ab animo depulsa. 11. requi-
ritur ut oremus ex fide , Iacob. i. 6. 7. Rom. x. 14. & xiv.
111. cum summa animi attentione, Eccle. v. 1. attentione, ad
rem, ad verba, ad Deum. Cypr. decorat. p. 499. Quò apud Gentiles
spectabat illa, in publico cultus, vel idolatriæ exercitio ,
populi per præconem adhortatio, hac solemni voce : *hoc age:*
Missis videlicet rebus omnibus aliis : cuius etiam meminit
Tertullianus, *adversus Marcionem*, lib. iv. Dicunt Iudei, & in-
scribunt ad parietes suæ Synagogæ : **חִלְלָה כָּלָא** **כְּוֹנֵחַ כָּלָא נְשָׁמָה**
precatio sine intentione , est sicut
corpus sine anima. Ephræm syrus , lib. de Armat. spirituali :
nam si dum oras, permittas vagari animum, eris tamquam qui tenet
quidem arcum, verum sagittam contra adversarium dirigere nequit,
illam in vacuum nulla certa intentione mittens. Benè Johannes
Lansbergius, in Enchiridio Milit. Christian. cap. x. Sic intendas
Domino soli, quasi præter ipsum Te, nihil aliud sit. Qualis attentio
hic requiratur, vide etiam explicatum ab Amelio, Cas. Confe-
lib

lib. IV. c. XIV qu. 3. Et cap. XVII qu. 2. Quarta virtus precationis
est, fervor; ut cum omni affectu, ardoreque percemur Deum.
Ion. III. 8. Exod. IX. 28. I Sam. I. 10. Ies. LXIV. 7. Ier. VII. 16.
Luc. XXII. 44. II. Chron. XIII. 14. Heb. V. 7. Chrysostomus,
in Matt. homil. XXIV: Duo igitur adesse oportet oranti, ut
seilicet & vehementer petat, & illa, quæ petenda sunt. hunc fer-
vorem testantur in precibus, clamores Psalm. V. 5. & labryma,
Heb. V. 7. Iesa. XXXVIII. Melanchton, in orat. funebri, de
Luther: sape interveni, cum lachrymans precationes suas pro tota
Ecclesiâ dixit. Arnobius, in Psalm. CXVIII. Summus gradus
enim orationis est, quando in oratione positus, preces hum-
mul & lacrymas fundis. V. in precibus facienda est peccatorum
& indignitatis nostræ coram Deo confessio. II Sam. VII. 18.
Ezr. IX. 6. Nehem. I. 6. 7. & Ix. Ios. VI. I. 10. Psalm. XXXII.
5. & I. 10. Dan. IX. Thren. III. 42. Hos. V. 15. Iac. V. 16. VI.
addenda quoq; gratiarum actio, pro acceptis à Deo beneficiis.
Philipp. IV. 6. Ioann. XI. 41. 42. I. Reg. III. 6. II. Ephes.
III. 22. 21. Heb. XIII. 15. A& XVI. 25. Basilius, de vita so-
litariâ: cum ergo precaberis, non statim ad petendum prorumpere, ali-
oqui prodis animi tui affectum, tanquam necessitate coactus ores ad
Deum. Oraturus igitur relinque te ipsum, uxorem, liberos, desere
terram, transcede calum, relinque post te omnem creaturam visibi-
lem, & invisibillem, & ordite à glorificatione, ejus qui omnia condidit,
& ubi illum glorificaveris, ne oberves animo vel huc vel illuc,
neque more gentili fabuleris, sed sumptis sacra scriptura verbis, dicas,
Benedico te domine, lenem ac patientem, qui quotidie peccantem me
patienter toleras, dasque omnibus nobis respescendi copiam. & quæ
sequuntur. Ambrosius, lib. de institut. Virginis, cap. II.
Bona oratio, quæ ordinem servat, ut primo a divinis inchoemus lan-
dibus &c. VI. I. Orandum cum spe, & fiducia optatum à Deo
imperandi. II Sam. VII. 28. 29. II. Chron. XIV. II. & XX.
12. VIII. addere licet rationes, ob quas illud petamus, & qui-
bus Deum quasi commoveamus: sive ex Dei natura, ejus bo-
nitate &c. Iudic. XV. 18 Psalm. CXLIII. II. 12. sive ex ejus

verbo, Luc. ii. 29. 55. sive nostro statu, petitas. Psalm vi. 3.
&c. ix. Constanter insistendum precibus. Luc. xviii. i. 7.
& vi. 12. & xi. 8. Nehem. i. 6. 1 Sam. xv. 11. & vii. 8. Matth.
xxvi. 42. Act. x. 2. 1. Rom. xii. 12. Thess. v. x. omnia tan-
men sub arbitrio divino appendenda. Matth. viii. 3. & xxvi.
39. 1 Sam. iii. 18. Dan. iv. 17. i. Ioann. v. 14. xi. deni-
que cum promissione, & voto obedientiae erga Deum, quan-
do nos exaudiet. Genes. xxviii. 21. Psalm. li. 15 Ion. iii.
8. Exod. ix. 28. Psalm. lxxx. 18. Hos. xiv. 3. 4. Zephan. ii. 3.

XIX

Post precationem hæc observanda. i. Res precata expre-
stanta à Deo est, quandocumque eam dare placuerit. Psalm.
xxxvii. 5. & lxxxv. 9. Ioann. v. 3. Psalm. xlii. 12. Deinde,
quærenda, per omnia nimirum media ista, quibus Deus peti-
tum conferre solet. Psalm. xxvii. 4. 11. Chron. vii. 14. &
xxxiii. 12. Matth. vii. 7. 8. Prov. ii. 3. 4. 5. Luc. xiii. 24.
Ierem. xxix. 13. 14. illud sibi volebat Laconum istud diver-
bium, apud Plutarchum, in Lacon. admota manu fortunam im-
plorandam esse. Denique tempus beneficii accipiendi, Deo in so-
lidum relinquendum, neque hic ei aliquid temere præscri-
bendum, Act. i. 6. 7. Præterea, quod ad animum ejus, qui
jam precatus est (illud enim prius preces ipsas spectabat) vi-
dendum, num bene, num melior ex precibus redierit: quod
nisi sit, peccatum hic apud nos est. In Bibl. Patrum, Iohan-
nes Climacus, grad. xxvi. 11. de oratione, inquit: *Vnde & qui-
dam ab oratione exeunt, veluti ex fornace ignis egrediuntur, sordis
cujusdam ac materia levamen sentientes, alii vero veluti à luce illu-
strati, atque duplice humilitatis amicti ueste, inde procedunt. Qui
vero absque his duobus effectibus ab oratione exeunt, corpore non spi-
ritu, judaice dixerim orant.* Confer Gregorium, in lobum. lib.
x. cap. xvi. &c.

XX

Oratio est vel mentalis, vel vocalis: illa, quæ animo pera-
gitur, Exod. xiv. 15. 1. Sam. i. 11. Psalm cxxx. 1. Hæc si-
mul

mul voce, & sermone. Hæc absque illâ, nulla est, Iesa. xxix.
illa vero etiam sine hac valet. In Martyrologio, ad A. MOLXI.
Castilla Rocques, coram tribuno diu ludificata, & ut tum
Deum suum inclamaret, irrisa; ego (ajebat) quamvis non al-
tum clamem, exaudior tamen à Deo, atque is me quidem è tuis libera-
bit manibus. De utraque, mentali & vocali oratione (conjun-
ctim utraque optima est) vide Amesium, Cas. Conf. lib. iv. cap.
xvii. Heb. v. 7. Clemens Alexandrinus, Stromat. lib. iv.
pag. 543. Quid ergo sibi volunt Pythagoræ, inquit, quamjubent
cum voce precari? non quod, ut mihi quidem videtur, existimarent,
Deum non posse exaudire eos, qui tacite loquuntur, sed quod justas
vellet eſe preces, quas non veteretur quis fundere multis eas scienti-
bus. De Lutherio, Melanthon, in orat. funebri, Declamat.
Tom. III. refert: ſæpe dixit ſe succenſere iſtis, qui aut propter
ignaviam, aut propter occupationes, dicūt ſatis eſe ſolo gemitu precari.
Facit ad explicandos excitandoſque magis affectus, vocem in
precatione adhibere. Augustinus, epift. cxxi. ad Probam:
interdum voce nos ipſos acrius excitamus. Tum, & omne quod
in nobis eft, membra omnia Divino cultu ſic quam optimè
impendimus. Psalm. ciii. 1. preterquam, quod & alios hoc
pacto simul docemus, & ad precum officium instigamus.

Qu. Quæ ſit Battologia illa, à Christo, Matth. vi. 7. re-
prehensa? *Reſp.* i. inanis loquacitas, & verborum profuſio, πολυ-
λογία, verf. 7. putant enim quod ſua πολυλογία exaudientur. ii. ver-
borum eorundem utilis repetitio, battologia: montibus, inquit,
erant &c, μὴ έπειποντες. iii. ut qui putant, quaſi hoc mo-
do Deo melius innotesceret iſorum petitio. Hinc Christus
verf. 8. novit enim Pater uester, quibus opus habeatis antequam vos
petitis ab eo. 1 Reg. xviii. 26. Ad iſtud, μὴ έπειποντες, & Sy-
riacum hoc loco יְפִירָה, vide Nicol. Fulleri *Miſcellanea*, lib.
II. cap. XVI.

Qu. An ergo omnis eorundem forte verborum in orati-
one repetitio, pro vitio Battologiæ censeretur debet? *Reſp.* Non,
ubi priora abſunt, & cum repetitione verborum, affectus,

con-

conjunguntur, & crescent; atque inde ipsius petitionis quoque surgit emphasis. Augustinus, epist. cxxi. ad Probam, quæ de orando Deum inscribitur: *Absit enim ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio.* Nam multum loqui est in orando rem necessariam superfluis agere verbis. Multum autem precari est, ad eum quem preciamur, diuturna & pia cordis exortatione pulsare. Nā plerumque hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu quam affatu. Adde Amesum, Cas. conse. lib. iv. cap. xvii.

X X I

Cyprianus, de orat. Domin. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare. Placendum divinis oarlis, & habitu corporis, & modo vocis. Nā ut impudentis est, clamoribus strepere, ita contra congruit verecundo modestis precibus orare. modestos & sanctos in preicatione decet gestus adhibere; non hypocritos, nō in hominum applauum, & pompa compositos, Matth. vi. 5. Nehem. viii. 7. respondentes totus populus amen, cum elatione manum suarum, verticem inclinarunt, & incurvarunt se Iehova, facie terram versus. Luc. xviii. 13. Exod. ix. 29. 33. Thren. iii. 41. De ritibus Veterum, inter precandum, diximus alibi. Et de orationis gestu, vide quoque Amesum, lib. iv. Cas. Conscient. cap. xviii.

X X I I

Quod ad locum habendæ orationis, est is vel privatus, vel publicus: unde preces sunt vel private, vel publice. Private, seu domi, aut in conclavi, Matth. vi. 6. 11 Reg. iv. Act. ix. 11. & x. 9. & xvi. 25. vel in alio quo loco solitario. Luc. vi. 12. & ix. 18. Apud Clementem, lib. viii. Recognit. Petrus: perreximus pariter ad locum secretum, in quo & pridie orationis causa fueramus.

X X I I I

Vel sunt preces singulares, quæ à singulis fiunt. Dan. vi. 4. vel communes, quæ à multis una. Matth. xviii. 19. Act. xii. 12. Luc. i. 9. 10. Zachar. viii. 21. 22. Act. iv. 24. & xi. 12. & xiiii. 3. & xxii. 5. & xvi. 13. 3. aut in familiâ, domestica. Act. x. 4. 24. 33. 1 Pet. iii. 7. aut scholastica, aut ecclesiastica. Matth. xxii.

xxi. 13. In communibus precibus 1. est solemnis contestatio mutuae communionis, & unitatis fidelium inter se, tamquam in uno corpore. Act. iv. 24. 11. mutua aliorum excitatio. 1 Cor. xiv. 15. 16. Rom. xv. 30. 111. Deo acceptissim, quo à pluribus una honoratur, ac colitur. Psal. xxii. 4. Act. lxxix. 5. Rom. xv. 30. Iac. v. 16. 14. vis unita eo fortior est ad imperrandum, Matth. xvi. 11. 19. Ignatius, epist. ad Ephesios, si enim unius atque alterius precatio tantarum virium est, ut Christum inter illos statuat, quanto plus Episcopi & totius Ecclesiae oratio consona, ascendens ad Deum exorabit, ut omnia quae petiverint in Christo, dentur ipsis. Verum ubique locorum precanum 1 Tim. 11. 8. nam & ubique Deus adest. Matth. vi. 6. Bernardus, Medit. cap. vi. ubique ergo fueris, infra temetipsum ora. Si longe fueris ab oratorio, noli querere locum, quoniam tu ipse locus es. Si fueris in lecto, aut in alio loco ora; & ibi est templum. Et paulo post: Quocunque loco constis, cogitationes tuas jacta in Deum, & aliquid satutare in animo tuo versa. Omnis siquidem locus ad meditandum congruus est. Patrum nonnullorum hanc in rem loca, vide apud Hondorfium in 111 præcept. de orat. §. 11.

Controversia nobis hic est cum Papistis, super templorum sanctitate: illis contendentibus, in templis suo ritu consecratis, precies fieri religiosiores, & efficaciores. Bellarminus, lib. 111. de cultu sanct. cap. iv. Contra sublatum sub N. Testamento, locorum discrimen, Ioann. iv. 21. & parem omnium rationem. Mal. 1. 11. Matth. vi. 5. 1 Tim. 11. 8. De hoc videantur plenius nostrorum disputationes, adveritus Papistas.

X X I I I.

Ad tempus precandi quod spectat, queritur, quando, quoties, & quamdiu orationi inhærendum sit? Simpliciter responderet Scriptura, semper orandum esse. 1 Thes. v. 17. Ephes. vi. 18. Luc. xvi. 1. Psalm. xxxvii. 2. Bernardus, de interiori domo, cap. xlvi. sine intermissione orare debemus. nam sicut nullum est momentum, quo homo non fruatur, aut utatur Dei pietate & misericordia; sic nullum debet esse momentum, quo cum praes-

D

tem

tem non habeat in memoria. Non autem quod nihil aliud agere unquam liceat, præterquam Deum precari : etenim & alia pietatis officia non omittenda quoque sunt ; tum etiam naturæ : sed illud de perpetuâ oratione intelligendum præcep-tum est. I. de animo ad precandum semper disposito, & ad precationes prono. II. & omnes ad precandum arripiente occasione. Ephes. vi. 18. *precantes in nvari usq[ue] c[on]tra m[al]os usq[ue] ad*. Io-anne Lanisperg. in Enchirid. milit. Christian. cap. x. *Ex o-nnibus que vides, quæ ave audis, disce orandi sumere occasionem, men-temque ad Deum elevandi.* Nihil enim adeo potest audiri absurdum, nihil fieri, quod bona mente sese ad Deum convertendi, cum Deo-que tractandi, non præbeat occasionem. III. intelligendum de con-stantia istius in precationibus officii: quod scriptura appellat in precibus *προσεγγίζειν*. Rom. xii. 12. Act. i. 14. Denique quod quovis tempore, nullo ad orandum profecto, precandum. Adde Amesium, Cas. lib. iv. cap. xiv. qu. v. De illo Clemens Alexandrinus, Stromat. lib. viii. *εἰς τὸν πόλεμον ἀποστολὴν προσεγγίζειν*, preca-tio quidem est ei vita universa, & cum Deo conversatio. De Mar-tino, Sulpicius Severus, in ejus vita, circa finem : *nimirum ut fabris ferrariis moris est, qui inter operandum pro quodam laboris le-vamine incudem suam feriunt; ita Martinus etiam dum aliud agere videretur, semper orabat.*

X X V.

Quando orandum? præcipue I. ad certas temporis periodos.
Hinc usus ille ut antiquus, ita bonus, orandi mane ac ves-pe-ri. Psalm. lxiii. i. Thren. ii. 19. Chrysosthomus, in 1 Tim. ii. i. Ambrosius, lib. iii. de Virginibus, *Oratio quoque nos Deo crebra commendet.* Si enim propheta dicit : *Sepries in die lau-dem dixi tibi; qui regni erat necessitatibus occupatus; quid nos facere oportet, qui legimus; Vigilate & orate ne intretis in tentionem?* Cer-te solennes orationes cum gratiarum actione sunt deferenda, cum è somno surgimus, cum prodimus, cum cibum paramus sumere, cum sumperferimus, & hora incensi, cum denique cubitum pergimus. Sed etiam in ipso cubili volo psalmos cum oratione dominica frequenti con-texas

texas vice, vel cum evigilaveris, vel antequam corpus sopor irriget,
ut te in ipso quietis exordio rerum secularium cura liberam, divina
meditantem somnus inventat. Iosephus, Antiquit. lib. v. cap. viii.
inter Mosis leges recentet: bis quotidie, in eunte die, & cum itur
cubitum, commemoranda summa Dei beneficia, qua liberatis ex Aegypto prestiti. Basilius, epist. ad Gregor. Theologum: ecquid
beatus, quam hominem in terra concentum angelorum imitari? ine-
unte statim die in orationes ire? in hymnis & canticis Creatorem ve-
nerari? exinde sole jam delucente converti ad opera, nusquam si-
ne oratione? denique canticis tamquam sale condire actiones? Exhorta-
t. ad filium Spiritual. Quodcumque opus inchoaveris, primo in-
voca Dominum, & ne desinas gratias agere, cum perfeceris illud.
Confer, quæ habet Cornelius à Lapide, in Deut. vi. 8. De
nocte etiam orant Paulus, ac Sylas, Act. xvi. 25. Hierony-
mus, in epist. ad Eustochium: Sanctis ipse etiam somnus oratio
est. Cyprianus, de orat. Domin. nulla sunt horis nocturnis pre-
cum damna. Basilius, serm. in martyr. Iulittam: noctis diducas
tempus in somnum & orationem. Ipsi tibi somni quoque pietatis me-
ditationes, exercitationes que fiant. Hujus loci est quæstio illa, quā
cum Papistis habemus, de horis canonicius? quam impræsentia-
rum non ingredimur.

X X V I.

Præter temporis articulos, quibus solemnius precari con-
venit, ratio agendorum habenda nobis est; ut antequam ad o-
pus nostrum accedamus, benedictionem divinam imprimis
imploremus. Hinc ulus ille laudatissimus ante negotia, & ante
quam cibum sumimus, ut & post, Deum sedulò orandi.
Matth. xiv. 19. Ioann. xi. 41. 6. 23. Εἰ μὲν τὸ προσκεῖται οὐκίον,
Epi&tetus. interque Gentiles celebratum exemplum Scipio-
nis Africani, soliti ante Reip. negotia diluculo capitolium
frequentare, ac cum Iove prius consultare; Aulus Gellius,
lib. vii. cap. i. Chryostomus de orat: Quapropter oportet, &
stratis relictis, divino cultu prævenire solis exortum, & cum ad men-
sam accedimus, & cum nos ad nocturnam quietem recipimus. Deinde:

Die mihi qua fronte solem intueberis, nisi prius adoraveris qui lumen illud dulcissimum oculis tuis mittit? Quo pacto frueris mensa, nisi prius adoraveris eum, qui tibi tantum bonorum largitur ac suppeditat? Qua spe trades teipsum nocturno tempore, qualibus cum insomniis putas tibi rem fore, nisi terpsum præmunitur orando, sed incusfloditus somnum acceperis? Basilius, epist. 1. ad Gregor. Antequam cibus sumatur, preces fiant digna largitionibus Dei, tam eorum quæ in presentiarum offert, quam quæ ad futurum reposuit. Cibum quoque sequantur preces, quibus & gratiarum actio persolvatur: & promissa divina petantur. Et serm. in Iulittam: sedens ad mensam ora, & quæ sequuntur, pag. 443. Adde Ambrosium, serm. xlii. xliii. Hinc in bello, ut felicius geratur, supplications ad Deum fieri solite: 1 Sam. xiv. 36. Psalm. xx. & xxii. Num. x. 35. Ea in Constantino pietas, ab Eusebio deprehendatur, lib. 11. de vita Constanti cap. xii. & lib. iv. cap. xviii. xix. Et quidem hæc præcationis militaris formula erat: Te unum Deum novimus: te agnoscimus Regem; te opitulatorem invocamus. Tu vicitoria nostra es. Per te hostes vincimus. Tibi accepta ferimus bona, quibus fruimur, omnia. Reliqua abs te uno exspectamus. Te supplices precamur, ut Constantinum principem nostrum, ejusque filios, diutissime serves incolumes. Idem studium in Theodosio Iunior dilaudat Socrates, hist. lib. vii. cap. xxii.

X X V I I.

Denique, sicuti certis temporibus, & initio prius quam ad opus accedimus, oramus præcipue; ita & calamitatis tempore, & quum patimur à Deo gravia, in anxietate nostra per præcationem ad Deum consugiendum, res monet. Psalm. l. 15. Matth. xxvi. 38. 39. Iob. vii. 11. Hæc responsa sunt ad quæstionem: quando potissimum precandum sit?

X X V I I I.

Et quies? huc pertinet divisio precum, in flatas, certas; & ejaculatorias, vel occasionales. Hæ sunt, quas ad varias & quascunque occasionses ejaculantur pii, continua eorum ad Deum suspiria, & desideria. 1 Sam. viii. 6. Nhem. ii. 4. De

De oratione statâ, vide Amesium, *Caf. lib. iv. cap. xiv.* Dru-
sius de Hasidæis, cap. xii. ex Iuchas in refert: *De R. Iose dix-*
erunt quod esset, congregatio sancta: vocatur autem congregatio sancta,
ut quidam volunt, quia laborabant in lege, hyeme, & estate, & cum o-
pus sacerent: ut alii censem, quia diem in tres partes distribuebant;
quarum unam dabant preicationi, alteram legi, tertiam operi: sed
sanceti priores, Hasidæ novem horas tribuebant preicationi. Melan-
thon, in declamat. de Luthero: sumebat enim sibi fere quotidie
certum tempus ad Psalmos aliquos recitandos, quibus sua vota gemens,
& lachrymans miscebat. Eodem tomo, de Sibylla, conjugi Fri-
derici Electoris: Horas enim distribuerat preicationum, lectionum,
& operarum.

X X I X.

Denique & quamdiu precandum sit, sive preces, an breves,
an longas oporteat esse, quoque videamus. Haud potest certa
preicationibus omnibus regula, & mensura præscribi; sed
habenda ratio est i. *materia*, rerumque petendarum, prout
ex paucæ, vel multæ, & graves sunt. ii. *animi*, & *affectus*,
quamdiu is retineri potest fixus, & in precibus ardens, ac con-
stans. iii. *auditorum*, & *populi*, quando is adest: ut hinc ex-
stimetur, quam longam, aut brevem facere convenientia orationem. Cæteroquin præferendæ sunt breviores, & crebra pre-
icationes prolixioribus. *1 Sam. vii. 20.* aliud est *sepe*. aliud
longe precari. *Luc. vi. 12.* *1 Sam. xv. 11.* *1 Tim. 11.* *1. Psalm.*
lxxxv 111. 2. Augustinus, epist. ad Probam: *Dicuntur fratres*
in Aegypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissi-
mas, & raptim quodammodo ejaculatas, ne illa vigilanter ereta,
qua oranti plurimum necessaria est, per productiores horas evanesca-
atque hebetetur intentio. Annotat Fagiusr, in Levitic. xv. 17. pre-
cationem Summi Pontificis apud Hebreos, festo expiationis
brevem fuisse; alioqui productâ morâ, populus foras consti-
tutus valde anxius hærebat, ne quid ægri ήπ accidisset Pon-
tifici: ut Luc. i. 21. Precatio illa sic refertur: placeat tibi
Domine Deus noster, ut annus hic sit calidus, & pluviosus. Non

auseratur sceptrum gerens de domo Iehudæ. Non egeat populus tuus, ut alter ab altero cibetur. Neque ascendat coram te oratio facientium iter: id est, vana, & stulta hominum precatio, qualis eorum, qui iter dum faciunt, sibi petunt talement vel talement cœli tempestatem, parum attendentes, quid aliis, quid toti terræ melius conveniat. Farellus, referente in Annalibus, vel in historia Reformat. Sculteto, Basileæ A. MDXXV, inter alias theses, defendit & hoc quoque: longas preces periculatas esse. Wefelius, lib. I. de orat. cap. VII, longas preces hoc nomine rejicit, quod isto modo facile nomen Dei in vanum sumitur.

X X X.

Interim crebro precandum, instandum, perseverandumque in orationibus est. Luc. xvi. 11. 1. 7. & xii. 5. Rom. xii. 2. Eph. vi. 18. Col. iv. 2. 1 Thess. v. 17. Matth. xv. 22. 27. 1 Sam. i. 12. Act. i. 14. & ii. 42. 46. Quæstiones, & casus nonnullos, circa hanc de precibus materiam, habet, inter Anglos Theologos, Robertus Harris, conc. in e. Act. xii. 6. 7. qui videatur.

X X X I.

Qui sic, uti hucusque diximus, precatur, Deo valde gratus est; atque etiam apud Deum multum potest. Iac. v. 16.

Qu. Vnde est, quod preces, vel istud precandi officium Deo ita gratum est? Resp. I. quia personæ precantes Deo placent; in Christo nempe. Ioann. ix. 31. Iezech. xiv. 14. Prov. xxviii. 11. 9. Psalm. 111. 3. 5. & v. 2. & xviii. 2. 3. Ioann. xi. 42. Tum. II. quia in Christi nomine preces ad Deum fiunt. Ioann. xiv. 13. III. quia à Spiritu S. in cordibus nostris excitantur, & formantur. Rom. viii. 26. IV. Res, quam petimus à Deo, quando est grata. I Reg. iii. 10. 11. Sam. vii. 3. Iac. i. 5. Basilius, de vita solitaria: Vbi vero precationi insisteris, ne alia pro aliis petas, ne dominum irites, nec pecuniam, nec humanam gloriam, nec potentatum, nec aliud quicquam eorum quæ dilabuntur petas, sed regnum Dei, & quacunque corpori necessaria sunt ipse tibi dominus exhibebit, quemadmodum pollicetus est. V. ipse precationis cultus Deo singularem in modum placet. Cant. ii. 14. Apoc. v. 8

v.8.Psalm.cxl.1.2.Mal.1.11.vi.propter fidem, ex qua petimus.Marc.v.36 Matth.xv.28.&xxi.22.vii.Denique propter instantiam, & assiduitatem precandi. Luc.xvi.11.7.Hatce ob causas adeo grata Deo est precatio. Bernardus : nemo nostrum parus pendat orationem suam, dico enim vobis, quod ipse, ad quem oramus, non parvi pendit eam. Postquam egressa est ab ore nostro, ipse scribit eam in libro suo ; & unum ex duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit, quod petimus; aut quod novit utilius. Confer sive lis Philippi Camerarii Meditat. hist. lib. 1.c.1.

X X X I I .

¶ Nempe ea est precum nostrarum apud Deum quoq; efficacia. Matth.xxvi.5 1:& vii.11.Marc.xi.24.Ioann.xiv.12.13 14.Iac.v.14.15.16. Apparet ea precationis vis, sive in petitionibus, δίνεται; sive in depreciationibus, ἀποδέχεται; sive comprecationibus, λαμβάνεται. Illuc faciunt exempla prectionum, in sacris commemoratarum, quibus legimus, vel pluviam acceptam, aut etiam inhibitam, Iac.v.17.18.vel liberos à Deo impetratos, 1Sam.1.& 11.19.21.Genel.xxv.21.valetudinem, 1Chron.xxxxi.24.Genel.xx.17.Iac.v.15.victoriam ab inimicis. Exod.xvii.12.11Chron.xiv.& xx.sapientiam. 1Reg. 11.9.10.12.Dan.11.18,19.aliaque complura. Vide & Nyssenum, de orat.pag.9.In Orach Chajim, liber est apud Iudeos juridicus, num.1.set.1.iv.dicunt : כוח החרפה magna est vis prectionis, etiam ad immutandā naturam, & ad liberationem ex periculis. Addunt ולבטל הננו ולבטל reddendum decreta. quod est fallum. Eundemque in Gentilibus errorem notat, & confutat Thomas, lib.111.contr Gentes, cap. xcvi.

Bene dictum à Chrysosthomo : nihil homine orante esse potentius. & Lutherus, omnipotentiam precum, dixit. Vide Origenem in Numeros, homil.xxv. ubi concludit : vides ergo, quia multo plus valet unus sanctus orando, quam peccatores innumeri preliando? Oratio sancti penetrat cælum, quomodo non & hostem vincat in terris? Augustinus, serm.ccxxvi. de tempore : oratio justi clavis est cæli : ascendit precatio, & descendit Dei miserationis.

seratio. confer Iac. v. 17. 18. & exemplum Oniq̄ , apud Iosephum, *Antiquit. lib. xiv. cap. iii.* Tertullianus, lib. ad Scapulam: Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione Christianorum milicium orationibus ad Deum factis, imbræ in siti illa impetravit. Quando non geniculationibus nostris etiā siccitates sunt depulsi? notę efficaces Lutheri precationes, in Comitiis Wormatiensibus, de quibus Ioh. Gerhardi *Confess. Cathol. lib. 1. pag. 163.* & alia, de quibus Melchior Adamus, in ejus vita, pag. 166. 142. ne quod ex Sleidano, supra de eo quoque attulimus, dicam. Climacus, de orat. Quippe oratio pie Deo vim infert. Vide Exod. xxxi. 1. 10. Ierem. viii. 16. Matth. xv. 23. Exempla aliqua efficacium prectionum, ex Ecclesiastica historiā, adducit Ant. Dauroultius, in *Catechismo historiali, cap. ii. tit. xi.* sed cum judicio legenda. Tum depreciationum, ubi mala deprecantur à Deo, efficaciam vide Exod. xxxii. 10. Ierem. vii. 16. & xi. 14. Genes. xix. 15. Psalm. cvi. 23 nisi Moses stetisset in illa ruptura בְּרִית עָמֶר; Chaldaeus id παρεφεστούσι. רַקְמֵד וְאַחֲרֵי בָּצְלוֹ qui stetit, & strenue rem egit precibus. Denique Imprecationum vim supra vidimus, thes. Adde, quod ex Iosepho jam citavimus, lib. xiv. cap. iii. Greg. Nazianz. in epitaphio Basilii, de eo: *Basilius oratio erat tonitru, quia vita erat fulgur.*

Qu. Vnde nostra precatio illam apud Deum habet vim, & efficaciam? *Resp.* Stephanus Marschall, Anglus, conc. habitā coram Parlamento, super Iudic. v. 23. responderet, quia hęc quatuor in precibus concurrunt. 1. qui precatur, est Dei filius, Matth. viii. 9. 10. 11. Dei spiritus eas dicit. Rom. viii. 26. iii. Offeruntur Deo, per Filium suum, Apoc. viii. 3. 1v. & maximam Deo conferunt gloriam: dum, in Deum reclinamus, 11 Chron. xx. omnemque facti gloriam ei soli adscribimus. Addo insuper hęc, ex ratione Dei, ut se ad preces nostras habet, petita. 1. quia is, qui hic invocatur, & cuius auxilium imploramus, est Deus fortissimus; ejusque potentiam hic maxime intuemur, ambimus, & urgemus, Ephel.

III. 20. Matth. xxvi. 53. 11. Et qui in promissionibus suis
abunde testatus est se quoque *velle* preces nostras ratas face-
re. Matth. vii. 7. 8. &c. 11. Et qui exaudit nos precantes,
juvatque *promissime*, Matth. vi. 8. Ioann. xv. 26. 27. 1v. Qui-
que *supra* id, quod cogitamus, vel petimus, præstat. Ephes.
III. 20.

X X X I I.

Inter exempla, quæ historia Ecclesiastica prodit, eorum, qui
sedulo, & efficaciter precati fuerunt, hujusq; officii commen-
dationem nobis suo facto reliquerunt, celeri possunt, Iaco-
bus justus; cuius (referente Eusebio, lib. II. cap. xxiiii, ge-
nua assida inter precandum flexione callum, instar camelorum,
contraxerant. Simile est, quod de Macario Alexan-
drino, narrat Sozomenus, lib. IIII. cap. xi-v. per frequentes
genuflexiones crines ei genibus enasci haud potuisse. In M.
Constantino idem precandi studium admodum extollit Eu-
sebius, lib. IV. de vit. Const. cap. xv. qui leipsum, orantis forma,
numismatibus & imaginibus exprimi fecit. Et lib. II. cap. iv,
ubi Licinius se magicis adversus eum incantationibus; ille se
precationibus muniebat. De Theodosio juniore Socrates,
lib. v. 11. & ex eo Baronius, Annal. Tom. v. pag. 505. narrat, cum
in circo palam populo prævisse in precibus, quando tem-
pestatem cœli deprecati, annonæ ubertatem a Deo largam
impertrarunt: itaque civitas quasi una Ecclesia fuit. De eodem:
si quando bellum conestabatur, Davidis exemplum imitatus, ad
Deum confugit. Theodoreetus, lib. v. cap. xxiv. Secerat The-
odosius & in pace & in bello, qui & semper perei diuinum auxili-
um, & nunquam illo fraudaretur. Carolus M. libellum precum
quo quotidie uteretur, sibi scribi aureis literis jussit, cuius
Baronius meminit, Tom. x. ad A. 870. editusque jam extat
Ingolstadii A. 1583. Aliorumque exempla passim hic addux-
imus; & nonnulla etiam mox adducentur, ubi de precum
exauditione.

C O R O L.

COROLLARIA.

- 1 **S**acra Scriptura & authoritas non pendet ab Ecclesiæ autoritate.
- 2 Nomen **ΧΙΣΤΟΥ** nusquam in Scriptura tribuitur creaturis.
- 3 Distinctio voluntatis divinae in antecedentem & consequentem mala est.
- 4 Objectum prædestinationis non est homo primum ut lapsus.
- 5 in Christo non sunt due personæ.
- 6 Christus non pro omnibus peccatoribus satisfecit.
- 7 Ab oratione optimum petitur argumentum pro vera Christi Deitate.
- 8 Fideles non sinit Deus deficere à fide.
- 9 Fideles possunt & debent salutis suæ esse certi.
- 10 Non fuit verus Samuel, qui Sauli apparuit, I. Sam. xxviii. 11 Ananiam Pontif. Maxim. recte Paulus vocavit parietem dealbatum Act. xxiiii.
- 12 Iudai inter Christianos quoque ferendi sunt.
- 13 Duella ut vulgo instituntur, non sunt licita.

D I S P V-

.1080